



I. Abtheilung: Abhandlungen.

De Vita et Cultu S. Joseph Patroni Ecclesiae Catholicae.

Disquisitio critica auctore R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.¹⁾

Praeambula.

Articulus primus: Vita seu actus praecipui Vitae S. Joseph.

- § 1. Qua ratione B. Virgo Maria et S. Joseph ex eisdem avis secundum carnem orti erant?
- § 2. Nativitas et adolescentia S. Joseph.
- § 3. Ejus sanctum et verum connubium cum Maria Virgine.
- § 4. Missio Archangeli Gabrielis, Nativitas Christi Jesu, ejusque fuga in Aegyptum.
- § 5. Commoratio Nazaretana Sanctae Familiae.
- § 6. Pretiosa mors S. Joseph.

Articulus secundus: De Cultu S. Joseph.

- § 7. Explicatur cur tam tarde ostensus fuerit in Ecclesia cultus liturgicus S. Joseph.
- § 8. Utrum iste cultus initium habuerit in Oriente an in Occidente?
- § 9. De prima et quasi occulta ejusdem cultus diffusione a nono usque ad quintum decimum seculum.
- § 10. De eodem cultu in decimo sexto, decimo septimo et decimo octavo seculis.
- § 11. De titulo Patroni Ecclesiae Catholicae, quo condecoratus est in nostris diebus S. Joseph.

Recapitulatio et Epilogus.

Appendix unicus: De reliquiis S. Joseph.

Exordium.

Post gloriosissimam Virginem Mariam, quae primum absque dubio tenet locum inter omnes res creatas, nulla forsitan invenitur creatura humana seu etiam angelica, tot et tam sublimibus ab

¹⁾ Haec disquisitio jam edita est tum in lingua gallica tum in lingua hispanica, sed hic emendata est sub aliquo respectu, ac insuper novis dilucidationibus illustrata.

Altissimo adornata dotibus, gratiis et privilegiis ac S. Joseph. Hunc decebat, ut mihi videtur, talis praeeminentia virum, qui vivens meruit esse sponsus Mariae Virginis et pater Christi nutritius, ac post mortem, nostris scilicet diebus insignitus est nobili titulo Patroni Ecclesiae Universae. Verumtamen res fere ultra fidem! a morte istius Sancti transierunt quindecim saecula antequam nomen ejus et cultus aliqua fama seu celebritate gavisa fuerint. Caeterum cur de tali tarditate tristandum? Nonne melius nobis est adorare altitudinem sapientiae et scientiae Dei, qui isto modo hodiernis tam calamitosis temporibus opem providit novi et efficacioris subsidii? Nonne Joseph debebat esse filius accrescens, tam juxta etymologiam nominis, tum juxta prophetiam senis Jacob.¹⁾ Quod quidem mirum in modum adimpletum est, cultu Joseph ubique nunc propagato, et nova incrementa de die in diem accipiente. — Hinc duae sectiones in ista disquisitione, prior tractans de vita S. Joseph, posterio vero de ejus cultu.

Inchoans priorem sectionem, inquiram primo quam ob causam et quam ratione Beata Virgo Maria et S. Joseph orti erant uterque ex eadem familia Davidica.

Articulus primus: Vita seu actus praecipui Vitae S. Joseph.

§ 1. Maria et Joseph orti erant ex Davide.

Certum et indubium est Mariam et Joseph ex rege David progenitos esse, nec obstant paupertas eorum, seu humilitas conditionis, in qua vixerunt, quin fideliter profiteamur authenticitatem tam nobilis prosapiae. Nam Deus, qui non mentitur, promiserat eidem David explicite, dicens nobis per os ejus: „De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.“²⁾ Item S. Paulus qui vivebat in diebus adimpletionis istius prophetiae, non minus clare assererat. Christum filium Dei factum esse ei (id est Deo) ex semine David secundum carnem.³⁾ Quod falsum esset ut patet, si Beata Virgo Maria ex alio quam David orta fuisset. Sed ex altera parte duo Evangelistae Matthaeus et Lucas describentes uterque Messiae genealogiam eam deducunt finaliter usque ad Joseph tanquam ex semine David ortum, nec minimum quidem verbum dicunt de Maria in hac circumstantia. Unde prorsus necesse est proavos Beatae Virginis eosdem partim esse ac proavos Joseph. Res est indubia ac etiam de fide Catholica. Modus tamen conciliationis instituendae inter utramque genealogiam remanet obscurus, mysteriisque plenus. Multa systemata ad hoc excogitata sunt quorum antiquissimum spectat ad tertium saeculum, et auctorem

¹⁾ Genes. XLIX, 22.

²⁾ Ps. CXXXI, 11.

³⁾ Roman. 1, 13, 2 Timoth. 11, 8.

habet Julium Africanum, qui illud inseruit in Epistola ad Aristidem de consensu Evangelistarum. Ista epistola non ad nos integra pervenit, sed tamen feliciter praecipua ejus pars invenitur apud Eusebium Historicum, a quo judicatur esse conformis traditioni seniorum.¹⁾ Eandem partem ejus mutuati sunt serius ab eodem Eusebio S. Gregorius Nazianzenus,²⁾ S. Augustinus Hipponensis³⁾ et S. Andreas Cretensis⁴⁾ etc.

Juxta hos auctores, Jacobus, qui dicitur pater S. Joseph apud Matthaeum, et Heli, qui eodem munere fungitur apud Lucam, fratres erant uterini et de facto patres Sponsi Mariae Virginis, unus secundum carnem, alter secundum legem. Haec opinio non caret aliqua verosimilitudine. Verumtamen non solvit omnem difficultatem Nam dato quod Jacob et Heli vere fratres uterini erant, necesse est etiam asserere illum, qui tenet ultimum gradum in genealogia Nathan a Luca omissum fuisse. Etenim impossibile est asserere Heli, qui hunc tenere videtur ultimum gradum eundem esse ac Joachim, patrem Mariae Virginis, ut supponitur, siquidem iste Heli mortuus est sine haerede, dum Joachim verus est pater Mariae Virginis. Quam forsitan ob causam Joannes Damascenus, qui et ipse loquitur eodem modo ac Julius Africanus, duo tamen nova nomina adjunxit iis, quae inveniuntur apud S. Matthaeum, scilicet nomina Pantheris et Barpantheris⁵⁾ ac insuper asserit (nihil dicens simile de Jacobo) Heli et Joachim germanos esse secundum carnem. Rebus sic stantibus, solutio problematis, de quo agitur, aliquantulum revera facilitatur, non tamen ad desideratum exitum totaliter perducitur. Quocirca aliam indagabimus solutionem magis satisfactoriam duce Fillion sacerdote S. Sulpicii.

Istius interpretis judicio, Matthaeus profert veram secundum ordinem naturae Josephi genealogiam, Christi vero et Virginis genealogiam secundum legem, dum e contrario recensentur a Luca avi et parentes Sponsi Virginis solummodo secundum ordinem legis.⁶⁾ Hinc testante eodem docto interprete Heli-Joachim verus pater Virginis, vitricus erat tantum Jacobi, patris S. Joseph, non pater ejus carnalis seu legalis: quo casu, vox patris, qua utitur nostra

¹⁾ Historia Ecclesiastica I, 7. — Patrologia graeca, t. XX, p. 90—99.

²⁾ De Genealogia Christi. — Ibidem t. XXXVII, p. 479—487.

³⁾ De consensu Evangelistarum, liber secundus, 5—8. — Patrologia latina, t. XXXIV, p. 1072—1074.

⁴⁾ Sermo III. de Nativitate S. Mariae Virginis. Patrologia graeca, t. XCVII, p. 850 et 851.

⁵⁾ De Fide Orthodoxa, IV, 14. — Patrologia graeca t. XCIV p. 1155 et 1156. Secundum S. Epiphanium (Haeresis LXXVIII, 7) Panther idem esset ac Jacob pater S. Joseph sub duplici nomine.

⁶⁾ Fillion: Commentaire sur S. Luc., p. 107. Paris, 1894.

Vulgata et multae aliae versiones, sumi debet sensu lato.¹⁾ In ista hypotesi clare patet Virginem Mariam unicam esse filiam Heli-Joachimi, juriumque ejus haeredem ac proinde juxta legem levitatus ei rigore prohibebatur eum conjugem accipere qui non fuisset ortus ex semine David.²⁾ Ista sententia confirmatur ex eo quod B. Virgo iter Betleemiticum fecerit: nam si res aliter se habuerint, si Virgo Maria non exstitisset unica patris filia et haeres, neque etiam ab edicto imperatoris Romani constricta fuisset ad tale iter peragendum.

Hoc systema conciliationis nullam vim facit, ut patet, textibus evangelicis, et in ejus favorem invocari possunt testimonia plurium antiquorum Patrum ac praesertim Irenaei,³⁾ Tertulliani⁴⁾ ac Sancti Athanasii.⁵⁾ Liber etiam Judaicus tam celebris sub nomine Talmud ei conformis est dum asserit Jesum esse propinquum regis David, et habere ad auctoritatem regiam jus haereditarium.⁶⁾ Juxta hanc sententiam Salomon profecto non jam annumeraretur inter veros Christi progenitores, locumque cederet fratri suo Nathan qui erat et ipse filius David et Bethsabe.⁷⁾ Sed res non obstat, nam promissiones, quae coelitus Salomoni factae sunt, habebant pro objecto solummodo, ni fallor, dignitatem regiam ac templi aedificationem, minime vero honorem computationis inter avos Messiae. Sola nomina istorum avorum, in quantum sunt a multis seculis prophetata, adsunt et proferuntur in ista antiphona liturgica: „Nativitas gloriosae Virginis Mariae ex semine Abrahae, ortae de tribu Juda, clara ex stirpe David“⁸⁾ e qua abest nomen Salomonis.

Rebus sic dilucidatis, aggredior nunc ea, quae pertinent ad natale et adolescentiam S. Joseph.

§ 2. Nativitas et adolescentia S. Joseph.

Probabile videtur Joseph fuisse ad lucem editum in castro Betlehem, quod erat familiae Davidicae cunabulum licet non possederit Sponsus Mariae Virginis in isto castro istam parvam casam, cujus falsae ruinae aliquoties piis peregrinis ostenduntur,⁹⁾ nam si res vera esset, Joseph et Maria non tam auxilii fuissent de loco inveniundo in diversorio¹⁰⁾ quando impleti sunt dies partus

¹⁾ Ibidem.

²⁾ Numeror. XXXVI, 5—8. Dubitatur an ista lex coerebat quamlibet filiam Israel seu solas haeredes familiarum.

³⁾ Adversus Haereses, 10, 29.

⁴⁾ De Carne Christi 21 et 22.

⁵⁾ Contra Apollinarem, 1, 4.

⁶⁾ Tractatus Sanhedrin, XLIII, 6.

⁷⁾ I. Paralip. III, 5.

⁸⁾ Prima antiphona Laudum Nativitatis B. Mariae Virginis.

⁹⁾ Ob hanc causam credo, istae ruinae in oblivione derelinquantur apud Vigouroux. (Dictionarium Biblicum, verbo Betlehem.)

¹⁰⁾ Luc. 11, 7.

Virginalis. — Aliquot vicibus pii scriptores tam alta senserunt de S. Joseph ut eum crederent a labe originali fuisse immunem dono insigni gratiae¹⁾ sed hodie post definitionem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, ista sententia non posset amplius defendi, siquidem agitur de privilegio exclusivo et aliquo modo incommunicabili. Joseph vero fuisse in utero materno sanctificatum ad instar Jeremiae et Joannis Baptistae Gerson asseruit²⁾ et post eum Isidorus de Insulis, Suaresius, Cornelius a Lapide etc. Quae sententia non videtur improbabilis, ratione munium sublimium, quae postea ipse Joseph factus vir adimplevit.

Nihil scimus de primis annis S. Joseph. Verumtamen indubium videtur illum parum litteras didicisse, labori vero manuum juvenem adhuc assuetum fuisse, siquidem parentes ejus pauperes erant et in sudore frontis panem comedebant. Faber vero lignarius fuit, aratraque faciebat ex aliqua traditione, quae jam invenitur apud sanctum Justinum.³⁾ Aliter sentire videntur SS. Hilarius,⁴⁾ Ambrosius,⁵⁾ Petrus Chrysologus⁶⁾ et post eos Venerabilis Beda⁷⁾ secundum quos Joseph fuit faber ferrarius. Quae tamen duplex sententia facile potest conciliari: siquidem idem faber frequenter in villulis a civitatibus remotis vicissim dolat ligna, ferrumque cudit. Aliunde fama vulgaris lignario favit, siquidem ex quintodecimo seculo et anterieus carpentarii et fabri lignarii S. Joseph tanquam specialem patronum venerantur, dum de tali re nunquam excogitatum est a fabris ferrariis.⁸⁾

Indubium etiam est Joseph, antequam conjugium iniret cum Beata Virgine, venisse Nazareth si non illic natus esset ibique domum, in qua posterius Verbum caro factum est, pro habitatione elegisse, sive ex haereditate paterna acceptam, sive ex pecunia comparatam.

§ 3. Connubium verum seu ratum S. Joseph cum Virgine Maria

pie creditur S. Joseph gratia speciali praevenit seipsum mature consecrasse Deo per votum castitatis. Nam aliter Beata Virgo, quae se tali voto obstrinxerat, ut fides docet, non eum accepisset sponsum qui simili voto non constrictus fuisset. Verumtamen de hac opinione non concordant antiqui Patres ante sextum seculum,

¹⁾ Petrus Morales, S. J.: De Christo, Maria et Joseph, liber I, tractatus 2, n. 6.

²⁾ Officium S. Joseph inter opera Gersonis.

³⁾ Dialogus cum Tryphone, 88.

⁴⁾ In Matth. XX.

⁵⁾ In Lucam, III, 2.

⁶⁾ Sermo 48.

⁷⁾ In Mareum, II, 6.

⁸⁾ Cahier: Caracteristiques des Saints, t. 1, p. 203 et passim.

S. Hilarius, verbi gratia, rem in dubium ponit.¹⁾ S. Epiphanius vero rotunde asserit Joseph duabus vicibus conjuges accepisse ac ex eis filios procreasse, antequam uniretur Virgini.²⁾ S. Hieronymus fortiter e contra ejusdem perpetuam propugnat virginitatem,³⁾ et post eum plures alii Patres latini, et omnes theologi catholici. Hinc hodie erroneum esset opinionem S. Epiphanii tueri, quamvis ipsa nunquam fuerit explicite condemnata.

Non minus etiam temerarium esset asserere nullum ratum inter Mariam et Joseph adfuisse conjugium, sed simpliciter, sponsalia. Revera S. Matthaeus aliquot insumit expressiones: „cum esset desponsata — — antequam convenirent“,⁴⁾ quae tali sententiae favere videntur, et tali modo intelliguntur a S. Gregorio Nysseo⁵⁾ a Talmudistis⁶⁾ ac forsitan ab ipso S. Gregorio Papa.⁷⁾ Sed in re tanti momenti parum valent privatae opiniones. Interrogari debent sensus et constans traditio Ecclesiae. Porro S. Ambrosius⁸⁾ et post eum multi patres occidentales seu etiam theologi erroneam existimant sententiam de qua agitur. Sic praecipue sentit et opinatur doctissimus Benedictus XIV loquens de festo instituto in commemorationem istius desponsationis vere initae inter Joseph et Virginem.⁹⁾

Quae desponsatio, in quantum colitur ab Ecclesia, non alia est, ipso teste, ac nuptiarum celebratio, et habuit locum antequam Verbum Dei carnem susceperit in utero Virginis. Etenim impossibile videtur profiteri quod istius connubii celebratio non praecesserit sed secuta fuerit Visitationem Mariae ad Elisabeth siquidem quando rediit Beata Virgo ab hac visitatione, jam apparebant signa externa impraegnationis testante ipso Joseph,¹⁰⁾ quae signa dedecus Virgini reputata fuissent si dictum connubium non antea celebratum fuisset publice juxta morem receptum. Aliunde quando missus fuit Archangelus Gabriel ad annuntiandum Incarnationis mysterium, jam introducta fuerat B. Virgo in domum sponsi sui.

¹⁾ In Matth. I, 4.

²⁾ Haeres. LXXVIII, 8 et 9.

³⁾ Adversus Helvidium 8.

⁴⁾ Matth. I, 18.

⁵⁾ Sermo, (dubius) pro die natalis Christi. Patrologia graeca, t. XLVI, p. 1139.

⁶⁾ Mischna, Katombab, 5, 2.

⁷⁾ »Ante nativitatem suam Christus Mariam sponsum habere voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit — — sed fuit custos integerrimae Virginitatis.« — Homil. XXVI in Evangelia, n. 7. — Patrol. lat. t. LXXVIII p. 1201. Sensus est S. Gregorii ut mihi videtur: Sponsus fuit Joseph Mariae Virginis, sed non ad ejus nuptias, id est, ad coitum pervenit. Hinc conjugium ratum fuit non consummatum.

⁸⁾ In Lucam, 2, 1 et 5.

⁹⁾ De festis B. Mariae Virginis, 1, 3 et 4.

¹⁰⁾ Matth. I, 18.

Porro haec introductio sequebatur, sed nunquam praecedebat nuptiarum solemnitate. Hinc erronea videtur sententia juxta quam Sponsus Mariae nunquam ad ejus nuptias pervenit, nisi ista intelligatur in eo sensu quod sponsus cum Maria iniiit conjugium verum et ratum sed nunquam de facto consummandum, ut loquuntur theologi et juristae.

Simili modo animadvertissent Judaei Nativitatem Christi non esse conformem consuetudini naturae humanae, si ista contigisset solummodo quatuor aut quinque mensibus post celebrationem dicti conjugii, ut supponunt ii, quos nunc impugnamus. Hinc scandala orta fuissent vel saltem rumores maligni sparsi, qui certe venissent ad aures et notitiam Phariseorum et Scribarum quando praedicante Christo, inquisierunt sedulo de ejus natali et primis annis ut eum in multis accusarent.¹⁾ Quam avide exceperunt isti veritatis inimici hos rumores qui aliquid legitimas reddidissent eorum accusationes!

Rebus sic stantibus potest asseri cum omni certitudine, non simplicia sponsalia habita fuisse inter Joseph et Beatam Virginem Mariam, sed ratum fuisse conjugium. Asseri potest similiter istud conjugium ininitum fuisse solemniter et antequam archangelus Gabriel missus fuisset ad Beatam Virginem: quia sine ista circumstantia honor Virginis non fuisset immunis ab omni rumore maligno.

Si a me nunc quaereretur qualis erat in diebus istius desponsationis aetas utriusque conjugum, respondebo rem incertam esse quoad S. Joseph, Virginem vero non majorem esse quindecim aut sexdecim annis secundum sententiam communem Theologorum. Relate ad Joseph opiniones multum sunt dissimiles.

In Oriente, ubi creditur, ut jam dixi, S. Joseph triplex iniisse matrimonium, patremque fuisse eorum, qui vocantur in Evangelio fratres Christi, asseritur conformiter eundem jam fuisse grandaevum seu septuaginta vel octoginta annos natum quando conjunctus fuit cum Maria Virgine.²⁾ Eadem opinio pro prima vice intravit in nostrum Occidentem, currente decimo seculo, causa relationum politicarum et matrimonialium quae tunc locum habuerunt inter Principes Ottones Alemannicos et Curiam Constantinopolitanam. Hinc invenitur inserta in scriptis sanctimonialis Rosswithae.³⁾ Sed ista sententia minime erat apud nos traditionalis. E contra in primis seculis christianis pingebatur, Romae et alibi,

¹⁾ Matth. XIII, 54—57. — Marc. VI, 2 et 3. — Luc. IV, 16. — Joan. VI, 42.

²⁾ Epiphanius: Haeres. LXXVIII, n. 7—10.

³⁾ Carmen de Vita Virginis Mariae. — Patrologia latina, t. CXXXVII, p. 1072.

S. Joseph sine barba, et cum aliis signis juventutis.¹⁾ Nihil pariter dicitur de hac ficta senectute Sponsi Mariae Virginis apud Ambrosium, Augustinum et Gregorium et etiam apud Petrum Chryso-
logum, qui laudibus dicti Patriarchae dicavit sermonem suum CXLV. Aliunde dicta opinio Patrum Graecorum parum verosimilis seu rationalis videtur, siquidem dabat locum inhonorationi Virginis et ejus filii. Insuper Joseph in ista hypothesis incapax erat fieri custos tutus integerrimae Virginitatis et pater nutritius pueri Jesu, quia non poterat providere per seipsum necessitatibus sanctae Familiae in pluribus circumstantiis ac praesertim in fuga Aegypti. Hinc probabile est Joseph non excessisse triginta aut quadraginta annos tempore dicti conjugii, eumque talis flore aetatis renitentem effingere decet pictores et statuarios. Nova adhuc proponitur questio, scilicet utrum miraculose agnitus fuerit Joseph tanquam Sponsus Mariae Virginis, nec ne? Cui respondeo, quod juxta quamdam antiquam traditionem jam insertam in Evangelio — apocrypho, sed quarti vel quinti seculi — Nativitatis B. Mariae Virginis Joseph ostensus fuit mirabili efflorescentia virgae, quam tenebat in manu.²⁾ Nam sacerdotes templi, multum anxii de custodia integerrimae Virginitatis Mariae, consuluerant Deum de viro ad hoc deligendo, et isto modo quis esset Domini electus cognoverunt. Eandem opinionem tuentur Josephus Hymnographus³⁾ et Roswitha jam citata. Apud pictores vero et statuarios, usus pingendi Joseph cum Virga efflorescente in manu apparet forsitan pro prima vice in quarto decimo saeculo, sed fideliter servatus est usque ad nostros dies.⁴⁾

§ 4. Missio Archangeli Gabrielis, Nativitas Christi, ejusque fuga in Aegyptum.

S. Joseph, celebratis, ut jam dixi, solemnibus nuptiarum more judaico habitabat cum Virgine in domo sua Nazarethana, quando missus est a Deo ipso Archangelus Gabriel ad annunciandum sublime Incarnationis mysterium et primo quidem ad hoc requisivit assensum Virginis, sine quo assensu res effectu carebat. Haec dicens minime contradico S. Ambrosio, secundum quem Virgo Maria „sola erat in penetralibus, sola sine teste, sine comite“⁵⁾ quando gloriosus Archangelus salutarem suam adimplevit missionem.

¹⁾ Joannes Baptista de Rossi: Bolletino de Archeologia cristiana, anno 1865, p. 25—30, 66—72 et passim.

²⁾ Liber de Nativitate S. Mariae IX. Falso attributus est S. Hieronymo. — Patrologia latina t. XXX, p. 313 et seq.

³⁾ Acta Sanctorum, t. III Martii, p. 6. — Roswitha, in loco jam superius notato.

⁴⁾ Grimouard de S. Laurent, Manuel de l'art chretien t. III, p. 174 et 175.

⁵⁾ Liber secundus in Lucam, 8.

Nam alibi asserit explicitè idem sanctus Doctor „quod desponsata erat Virgo ne temeratae Virginitatis adureretur infamia“¹⁾ item, quod „conjugem (Joseph) dicit Scriptura, non enim virginitatis exemptio, sed conjugii testificatio nuptiarum celebratio declaratur.“²⁾ Hinc si Beata Virgo sola erat in penetralibus“, id est, sola in suo cubiculo separato, non sola tamen erat in ipsa domo sancta Nazareth. Joseph, habitabat conjunctim cum ea, nec enim decebat tam delicatam Virginem vivere de nocte in una domo solitariam et sine defensione.

Nihil vero scivit Joseph de colloquio quod habitum fuit in ista nocte benedicta inter Virginem et Angelum: siquidem non aderat personaliter isti colloquio, et ex altera parte humilis Virgo altum tenuit silentium de re in qua tam sublimiter extollebatur supra quamlibet aliam mulierem. Statim postea habuit locum Visitatio Virginis Mariae ad consobrinam suam Elisabeth Ignoratur utrum istius itineris fuerit indubie particeps Joseph: sed res videtur sat probabilis, nam longum erat iter, et B. Virgo manifeste indigebat auxilio et comite. Nec obstat quod ejus sponsus redierit inscius mysterii Incarnationis, licet Elisabeth divinitus edocta illius veritatem explicitis verbis aperuerit³⁾ in primo ejus colloquio cum Maria. Etenim Joseph, etiamsi comes fuerit Virginis, abesse potuit variis de causis quando habuit locum istud colloquium Virginis cum matre S. Joannis Baptistae, id est quando exclamavit inter alia verba Elisabeth: „unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?“⁴⁾ Quo casu admissio Joseph inscientia nihil jam stupendum exhibet. Quidquid sit de hoc dubio, certum est Joseph remansisse in eadem inscientia usque ad reditum sponsae suae, seu tribus mensibus et amplius post annunciationem angelicam, siquidem animadvertens tunc signis externis gravidam esse virginem, aliquantulum anxius est eamque voluit occulte dimittere.⁵⁾ Profecto sponsus non dubitabat de innocentia Virginis, sed forsitan se judicabat indignum qui cohabitaret cum ea. „Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini (Gabriel, ut creditur)“ apparuit ei in somnis dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere (seu retinere) Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.“⁶⁾

Talibus verbis laetus redditus Joseph intellexit mysterium, et certior factus est proximos esse dies Messiae, proximamquoque adimpletionem prophetiae Isaiae, juxta quam Virgo conciperet

1) Ibid. n. 1.

2) Ibid. n. 5.

3) Luc. 2, 42—45.

4) Ibidem, 43.

5) Matthaeus, I, 19.

6) Ibidem 20.

sine virili consortio, pareretque Emmanuelem a cunctis gentibus desideratum.¹⁾ Quocirca faciens quae ei praeceperat Angelus remansit Joseph cum conjuge sua²⁾ ut fieret ejus brachium ejusque integerrimae Virginitatis custos fidelis. Tunc etiam judicio S. Bonaventurae et aliquot piorum scriptorum, debuit esse sollicitus Vir Mariae, de cunabulis faciendis et pannis praeparandis pro puero nascituro. Porro dum res ita se haberent, magisque proximum fieret tempus partus Mariae Virginis, exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis et singuli profiterentur in suam civitatem.³⁾ Unde necesse fuit ut Joseph et Maria ascenderent de Nazaret ad Betlehem civitatem, quae erat caput familiae David. Quod iter sat longum erat et non potuit perfici sine gravi labore et multa fatigatione. Insuper nullus eis concessus fuit locus in diversorio, quia pauperes erant.⁴⁾ Sed intraverunt in proximum quoddam tugurium, quod erat excisum in petra et refugium praebebat ovibus pastorum vicinorum. Ibi Maria Virgo peperit sine ullo dolore seu lesione corporis: sed cum maxima animi exultatione filium suum primogenitum pannisque eum involvit, sicut agitur pro aliis recenter natis, ac statim humillime adoravit eum, quem genuerat, quia filius erat Dei excelsi, rex Regum et Dominus Dominantium. Simul audita est vox multitudinis coelicae Angelorum laudantium Deum et dicentium: „Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.“⁵⁾ Quali tunc tripudio exultationis repletus fuerit Joseph, adorans et ipse filium Virginis matris, eique gratias agens cum choris angelicis, facilius est mente intelligere, quam verbis exprimere. — Similiter ineffabili gaudio exultavit vir Mariae, quando accedentes vicini pastores prima recenter nato obtulerunt testimonia obsequii et adorationis. Post dies vero octo circumcisis est puer, juxta legem veterem, eique ab ipso Joseph tanquam a patre putativo inpositum est dulce nomen Jesu quod explicite praeceperat Angelus Domini.⁶⁾ Deinde sex decursis diebus veniunt Magi ab Oriente,⁷⁾ eorumque laudibus et adorationibus coram puero exhibitis alacriter iterum unitur Joseph. Talis est saltem opinio antiquorum de die adorationis magorum: nam secundum recentiores interpretes haec adoratio non contigit nisi uno anno post Natale Christi. Quidquid sit de hac re, certum est quod quadraginta diebus post dictum natale „Maria et Joseph tulerunt puerum

1) Isai. VII, 14.

2) Matth. I, 24.

3) Luc. 2, 1 et 3.

4) Ibidem 7.

5) Ibidem 13 et 14.

6) Matth. 1, 21—24.

7) Idem 2, 1.

Jesum in Jerusalem ut sisterent eum Domino¹⁾ audieruntque illum benedictionibus magnopere cumulatam a Simeone et Anna. Unde „pater ejus et mater mirantes erant super his, quae dicebantur de illo.“²⁾ Statim vero „ut perfecerant omnia secundum legem Domini reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth.“³⁾

Dehinc contigit fuga in Aegyptum. Sed sine dubio haec fuga posterior est Magorum adorationi: nam istius adorationis indirecte fuit consecrarium, siquidem „Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Betlehem et in omnibus finibus ejus.“⁴⁾ E qua crudeli et injuste occisione ut eriperetur puer Jesus, pater ejus nutritius, monente angelo, accepit eum nocte cum ejus matre, et secessit in Aegyptum⁵⁾ non sine gravi labore, multisque fatigationibus et etiam periculis, propter paupertatem ejus itineris longitudinem et alias causas. Sancta familia, ut traditur, elegit ut habitationem castrum vicinum civitatis Memphiticae, quod nuncupatur *Matarea-Heliopolis*. Hodiedum hic ostenduntur domus Joseph, palma seu sycomorus, sub cujus umbra puer cum patre et matre ab ardore solis defendebantur, itemque puteus, e quo quotidie per seipsam Virgo hauriebat aquam pro necessitatibus familiae.⁶⁾ In hac regione plures habitabant Judaei a diebus captivitatis, eosque auxilium et protectionem in multis circumstantiis Mariae seu Joseph praestitisse facile creditur.

Ignoratur quantum temporis perduraverit incolatus sanctae familiae in Aegypto. Secundum aliquot scriptores fuit septem annorum iste incolatus, trium annorum vel simpliciter unius anni iudicio aliorum. Res pendet praesertim ex anno emortuali regis Heredis. Si evenit adoratio Magorum non ante presentationem Christi in templo sed uno anno post Natale ejusdem, dum mors Herodis contigerit paucis mensibus post mactationem Innocentium, incolatus ipse Joseph potuit non protrahi ultra spatium quindecim mensium vel circa. In casu contrario fuit probabiliter trium vel quatuor annorum. Aliunde hanc probationem disposuerat Deus ut adimpleretur oraculum propheticum, in quo dicebatur: „Ex Aegypto vocavi Filium meum“,⁷⁾ reditumque in terram Israel ita temperavit ut simili modo procuraret adimpletionem alterius oraculi

1) Luc. 2, 22.

2) Ibidem 33.

3) Ibidem 39.

4) Matth. 2, 16.

5) Matth. 2, 13 et 14.

6) Jullien, S. J. — Traditions et legendes coptes sur le séjour de la Sainte Famille en Egypte, apud Missions Catholiques, ann. 1887, p. 10—24.

7) Matth. 2, 15. — Oseas XIV, 1.

propheticum, juxta quod Nazareus nuncupari debebat Christus durante sua praedicatione.¹⁾ Etenim mortuo Herode, ecce Angelus Domini iterum apparuit Joseph in somnis praecepitque ei ut rediret cum matre et puero in terram Israël, prohibens tamen ne sedem figeret in Betlehem ubi Archelaus regnabat pro Herode patre suo:²⁾ Unde nutritor Jesu discedens ex Aegypto, habitare venit in civitatem suam Nazareth.³⁾ De quibus rebus adversis tractans quidam orator gallus multa laude dignus exclamat et dicit: „Inaudita res et fere inintelligibilis, iste pauper carpentarius fugit de regione in regionem, quin usquam inveniatur requiem et pausationem! Et quali de causa tam misera est apparenter ejus conditio? Quia ejus muneris est custodire puerum Jesum. Iste puer trahit post se persecutiones et adversitates multiplicis generis? Et quid mirum? Num puer Jesus possideri potest sine poena et labore? Minime: qui vere inquitur Jesum, tollat crucem suam.“⁴⁾ Nunc pauca de tempore habitationis Nazaretanae.

(Continuatio in fasc. seq.)

Beiträge zu der Biographie und den literarischen Bestrebungen des Oliverius Legipontius. (O. S. B.)

Von Dr. J. A. Endres (Regensburg).

(Schluss zu Heft I. 1898. S. 1—9.)

Der Same, den L. mit so vollen Händen ausstreute, ist nicht aller auf unfruchtbaren Boden gefallen; die Anregungen, welche er gab, waren nicht ganz ohne Erfolg. Gerade in jenem Kloster, von welchem er sich anfänglich die wirksamste Unterstützung seiner Pläne erhofft hatte und wo er auch thatsächlich aufrichtige Anhänger besass, in St. Emmeram zu Regensburg, ist ein guter Theil der gesteigerten geistigen Regsamkeit auf seinen Einfluss zurückzuführen. L. war es, der nachweisbar die Hand vermittelnd im Spiele hatte, als Frobenius Forster in der Mitte der fünfziger Jahre an eine Gesamtausgabe der Werke Alkuins schritt. Er veranlasste nämlich den greisen P. Ildephons Catelinot⁵⁾ von St. Michael an der Mosel, eines der strebsamen Mitglieder der lothringischen Benedictinercongregation, seine Vorarbeiten zu dieser Ausgabe dem Prior von St. Emmeram zu

¹⁾ Matth. 2, 23. Isai. XI, 1. Ps. CXXXX, 18.

²⁾ Matth. 2, 19—23.

³⁾ Ibidem 23.

⁴⁾ Bossuet: Elevations sur les mysteres. XIX^e. Semaine, troisième meditation.

⁵⁾ Ueber ihn s. Hurter, Nomencl. lit. (2) II. 1356.